

En patefacta via est, Venetūm victricibus armis,  
     Quà patrios possis tutus adire lares ;  
 Quàque Palæologis quæ olim ferus abstulit hostis,  
     Haeres legitimus regna superba petas :  
 Surge, age, pelle moras, ego te freta lata remensum  
     Efficiam optatâ conditione frui.  
 Huic ego : Quid dulcem rumpis mihi, Diva, quietem ?  
     Non stimulant fessum præmia tanta senem.  
 Quò mihi vela, rates ? Quò pontus, monstra, procellæ ?  
     Quò longi errores, exiliumque duplex ?  
 Quid mihi regna refers tantis obnoxia curis ?  
     Regnent, queis fastus, sanguis et arma placent.  
 Gallia nunc patria est: valeat Rhodos atque Penates.  
     Natalisque, Coos Hippocratæa vale.  
 Stare loco, et tutâ est animus considere terrâ .  
     Hic ubi pax, pietas, et sacra jura vigent ;  
 Hic, ubi doctorum jucunda caterva virorum,  
     Flora, Fales, Bacchus et Ceres alma virent.  
 Barbara nunc Cyrrha est, Scythicos jàm Græcia mores  
     Induit, antiquæ nil pietatis habet.  
 Sed si Threicis Turcæ expellantur ab oris,  
     Mæoticos ultrâ Tartareosque sinus ;  
 Insita si feritas dulci mitescat amore,  
     Thespiadis priscus si redivivat honos :  
 Non equidem abnuerim ( neque enim me Caucasus horrens  
     Nutriit, ut patriæ non memor esse velim ),  
 Ionias iterūm lætus remeare per undas,  
     Et semel, optatos rursùs adire lares :  
 Musa per Ægeam ut Delum, Coon, atque Colossos  
     Currat, et Aoniis fontibus ora riget.

« Naguère je crus voir Pallas s'élancer de l'ancienne ville  
 « d'Athènes ; elle vint à moi et me dit avec autorité : Rho-  
 « dien banni, toi qui as impunément affronté les mille périls  
 « de la mer, pourquoi prolonger ton exil sur les frontières  
 « de la France ? Grâce au succès des Vénitiens, les che-